



Ad Dominum Iesum Christum Seruatorem clementissimum, Eucharisticum. Joan. Foxi.



CONFECTO NUNC OPERE, QUOD TVIS PRIMVM AVSPICIJS ac voluntate aggressus (summe & adorande Iesu, idemq; Seruator clementissime) inchoavi, quodq; tuo demum beneficio ac fauore exegi atque absolui, præter omnem certam opinionem & vires meas: superest itaque pro officio meo, vt animula hæc, ceu pro votiua tabula, gratias, si non quantas debeat (vtinam enim id posset) at quantas queat maximè, munificentissimæ tuæ persoluat maiestati: quæ tam miserum homuncionem, vel syphar potius hominis, in laboribus tot tantisque istis, qui vel asellum quemuis *αχθροβρον* possent conficere, tumultuantem, benigno successu ac solatio tam clementer suffulcerit. Quanquam autem de operis difficultate nihil hic causari attinet, quæ vix æstimari à multis poterit: tua tamen non ignorat omnipotens maiestas, huius, qualecunque

fit, negotij confectio quibus quanq; non ferendis curis, vigilijs, molestijs constitit: Quibus nullo modo pares futuri essemus, nisi fauentis gratiæ tuæ numen affulsisset, ac sese quodam modo admiscuisset operi. Quid ni enim fatear ac tester ingenuè, quod re ipsa experti sumus. Persensimus enim, penè que oculis ipsis conspeximus, singularem excellæ dextera tuæ *εὐσπρίαν*, non modo in successu negotij prouehendo, sed in vita etiam spiritusq; inter labores, conseruando. Tui igitur muneris est (clementissime Iesu) quod opus tuis susceptum auspicijs huc vsque prouectum sit. Nos vicissim quod nostri sit officij, gratias clementiæ tuæ, cum nostro priuatim, tum publico quodammodo ecclesiæ tuæ nomine, agimus. Vel hinc enim cernimus quanti causam Martyrum tuorum astimes, quando eorum illustrando nomini tanta faueas propensione. Quanquam verò si nulla hic extaret eorum recordatio, non posset non omnibus modis esse illustrissimi, quorum sint nomina vitæ tuæ libro inscripta. Et tamen voluit hoc modo tua declarare maiestas, nobisq; innotescere hominibus, quàm honorificum sit pro tui nominis gloria fortiter dimicantes occumbere, quorum tu vitam à cinere ac rogo sic vindicas, sic causam tueris, sic dignitatem illustras, vt eandem multo cum gloriæ scenore abs te recipiat clariorè, quam si ipsi nunquam alioqui perdidissent. Habet siquidem peculiare hoc sibi militiæ tuæ ratio, longè à mūdo hoc diuersum, quod in castris tuis militantes siue viuant, tibi viuant, siue moriantur, multo clarescant a funere scelicus, quàm si vixissent maximè.

Sic Cranmerum videmus, Ridleum, Latimerum, Iohannem Hooperum, Bradfordum, cæterosq; eiusdem decuriæ pugiles, quanto maiore occubuisse cum gloria in acie tua depugnantes, quàm si relicta statione, in qua erant collocati, salutem ipsi suæ causam tuam postposuissent. Quæ enim gens, quæ lingua, quæ natio, quæ temporum vetustas, quæ hominum posteritas eorum non cantabit laudes, non virtutem agnoscat, non magnitudinem admirabitur? Quis Wicleuum vnquam, aut Cobhamum natum fuisse existimasset, nisi tua in causa tam egissent strenuè? Quanto honori illud Hussio Bohemensi, nostroq; Tindallo fuit, quod vitam in Euangelij, tui causa perditam, magis abs te recipere, quam ipsi retinere maluerint? Spectemus è diuersa parte aduersarios tuos, quorum tam multas esse constat cædes, iniurias, crudelitates aduersus tuos, multaq; item occultè & scelestè ab iisdem perpetrata, quæ nūquam sperabant fore palam: Et tamen quid vnquam in angulis & tenebris ab illis est designatum tam occultè aduersus Ecclesiam, quod non in apricum tua produxit productq; prouidentia? atque ita produxit, vt vnde ipsi laudis sibi conceperunt animo opinionem, inde summum sibi ipsis dedecus pepererint & contumeliam, quam nec vita effugere, nec morte vnquam finire poterint. Quis Guisios, Boneros, Storios, Gardineros, tanquam execranda hominum nomina nunc non nouit? non exhorret, quis eorum facinora obliterabit dies, aut sepeliet memoria? Et quid hos in tanta multitudine hostium tuorum recenseo? Cui vnquam prospere cessit tuo rebellare numini, aut hostem se ecclesiæ tuæ profiteri? Papæ nomen quàm erat aliquando in his terris celebre & gloriosum? Nunc quid putidius, quid probrosius? Cardinalitium fastigium cœperunt primo admirari homines, multaq; prosequi reuerentia: Sic Monachorum & Nonnarum collegia suum quondam habebant plausum apud plebem simplicem & credulam: At postquam spreta veritate tua cæperunt grassari contra te, tuorumq; homicidæ fieri, eo tandem sunt prolapsi (exceptis paucis quos tua exemit gratia) vt reliqua fex nihil aliud iam esse præter vocabula quædam ad ignominiam relicta videatur.

Hæc nimirum (sanctissime domine ac deus noster) iustissimi iudicij tui sunt præludia, ex quo haud difficile æstimare sit, quidnam in altero illo expectaturi sint, quos in hoc ipso seculo, hoc est in suo ipso regno, tanta accumules infamia & dedecore. Sed omissis his, ad sanctos tuos redeamus Martyres, quorum nomine, merito à nobis perenne velut sacrificium laudis & gratiarum tuæ debetur, simul & habetur, bonitati. Primum quod in ecclesiæ tuæ causa dimicantibus tam fortem & alacrem spiritum omnibusq; tormentis maiorem aduersus parricidas Papistas subministraisti. Deinde quod & nobis

Auxilium Christi in concinnando hoc opere.

Felix ac gloriosum pro Christo mortem optetere.

Papæ nomen nunc probrosum

Cardinalium Monachorum, nonnarum nomina ad ignominiam nunc relicta.